

Franckesche Stiftungen zu Halle

Diatyposis Amoris Christi Patientis In Genvs Hvmanvm

Müller, Johann David

Helmstadii, Anno MDCCIX.

VD18 90820703

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-202570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-202570)



B. L.



Ancti hujus temporis occasione & privata historiæ passionis Domini lectione, a D. Polycarpo Lysero, Electoralis quondam aulæ Dresdensis concionatore, erudita & perspicua paraphrasi expositæ, de ineffabili nostri bene merentissimi amore, quo miseros nos complexus est peccatores, in præsentiarum pauca quædam differere sedet animo. Fac igitur, ô bone Jesu, ô amor noster, ô delictum animæ nostræ, fac, inquam, benigne, ut tuum, quantum sit, recte cogitemus amorem, nihilque ab ejusdem gloria alienum meditemur. Pie non minus, quam vere sacro suo in epithalamio de sponsi cœlestis amore sapientissimus canit vates: *Fortis est dilectio ut mors; pruna ejus, pruna ignita, & instar flammæ vehementissimæ.* Quod si quis forte hac de re dubitare præsumat, eum Servatorem optimum, in infimo humilitatis suæ gradu constitutum, hoc est, cum iniquissima quæque pati ingrederetur, quibus ferendis nul-

)a(

535

lus

lus angelorum, nedum hominum par fuisset, respicere jubeo. Passio Christi, quam vocant, amplissimus profecto est liber, in quo quot voces ac syllabæ occurrunt, tot amoris documenta leguntur: Est theatrum, in quo non nisi amores conspiciuntur, patentissimum. Est schola sacro-sancta, quæ nullum nisi cruentum Christi amorem docet. Neque vero quicquam in Christo, tot, tamque dictu & cogitatu horrenda tolerante, nisi amor, conspicitur, neque quicquam, nisi amor, auditur. Ignis occultari non potest, cum vi erumpit, ac omnia flammaram violentia involvente, cunctorum se ingerit oculis. Sic & tunc amor Christi cum pateretur, manifesta in luce se ponebat, jamque *verbis*, jam *gestibus*, jam *actione*, jam acerbissima & innumera propemodum *passione* conspiciendum dabat. Quæcunque loquebatur verba, ea non nisi admirandum spirabant amorem. Qui enim vere & sincere amat, non acerbè severus, non difficilis ac morosus est, sed verbis mollissimis, papavereque ac sesamo conspersis utitur. Et cum Servator noster hominum, quas amabat, exambiret animas, constantissimi ad instar proci, nil, nisi quod suave, quod humanum, quod commodum esset, verumque ac sincerum redoleret amorem, proloquebatur. Amicus cum amicis epulabatur, & hos potissimum, quos suæ disciplinæ alumnos habebat, & de suo, & quem fovere mutuum debebant, prolixè instruebat amore, ut, quo totum cor impletum, id & divinissimo resonaret ore. Angore ac metu tantum non confectus, sudoreque sanguineo ferme diffuens in horto, Deum, quamvis adversarium sibi acerrimum, suum trina vice appellabat patrem, idque filiali ex amore, qui tanto majora capiebat incrementa, quo magis à Deo destitutus ac desertus videbatur. Judam, cum immundissimum Christo oppacturus basium, quod

(quod amoris olim & honoris signum fuit) magna hostium manu stipatus accederet, non, nisi humanissimis, quibus sui amoris sympathiam testabatur, compellabat verbis. Sive in sacerdotum concilio, sive in Pilati prætório, infinitis opprobriis, calumniis, mendaciis, scommatibus, blasphemis nefarie acceptum audiamus; quoties loquitur, nullum ex ipso verbum, quod odium in hostes declaret, audimus. Videamus & in cruce pendentem, hic certe nec exquisitissimos inter dolores, nec viribus plane defectus, nec cum summis angustiis luctatus, quicquam, nisi quod vel de hostium, vel amicorum, vel patris irati amore testari posset, ex ore sermonis emittebat. Labia suavissimi videlicet Soteris non myrrha amara, sed dulcissimo tunc melle stillabant. Et quid gestus Viri hujus dolorum commemorem? Et languor & silentium, & spiritus imo latere petitus, prout Romanæ Lyrae fidicen canit, amantem arguit. Annon hæc omnia in nostri amantissimo Christo suo deprehendere possumus modo? Cum auspicaretur passionem, spiritu tristis erat, cum in ea pergeret, animo angebatur, præprimis cum tristi ad mortem anima langueret. Obstinate idem coram Pilato filebat, cum hic, quorum accusatus esset criminum, exprobraret. Silebat nimirum, sed ex invincibili erga nos amore. Si enim causam suam, ut quidem potuisset, tueri ac defendere voluisset; ecquis ullius eum delicti arguere, ecquis convincere, ecquis ad mortem condemnare valuisset? Amor autem ipsius, quo erga nos constantissime flagrabat, si non plane hac ratione extinctus, non parum tamen impeditus fuisset. Præterea nec gemitus patienti Redemptori defuisse, vel inde non difficulter colligere licet, quod, ut epistola ad Ebræos est testis, in carnis suæ die preces & supplicationes, ingenti clamori

clamori & lacrymis immixtas, Patri obtulit. Quod fane tam sine gemitibus fieri non potuit, quam preces & lacrymæ, ex intimo cordis meditullio profectæ, sine devotionis ardore esse non potuerunt. Et quid, cum pateretur tam nefaria, Soter noster meritissimus egit? Et patiando nempe egit & agendo passus est. Utrumque vero quam luculentissima amoris vestigia nobis conspicienda præbet. Nonne ex amore discipulis pedes abluit? Nonne non tam cruciatuum, quam amoris vi defatigatus & languidus ad feralem locum, ut ibidem in omnium conspectu suum, quo mundum prosequeretur, probaret amorem, crucem portabat? Nonne & suos ad mortem usque diligebat? *Ut miser est homo, qui amat non nemo amore correptus & variis ideo illusionibus & contumeliis obnoxius apud Comicum dicebat.* Ah! quanto potius id de te, ô cœlestissime animarum sponse, dicendum est? Ah! cum tam vehementi, tam eximia, tam constanti diligas charitate, quam miser es? Quam spretus & contemptus es? Quantis doloribus distineris? Quantis contumeliis obrutus, quantis injuriis lacescitur, quam propudioso dedecore affectus es, quam nihil non mali & adversi pateris? Funes, quibus te capi & ligari voluisti, amorum funes erant, ipsumque omnipotentem vincere & invictissimum vincere possunt. Ab altero injusto iudice ad alterum ex amore te rapi, & ut pessimum nequam, ut impurissimum nebulonem, ut perduellionis reum, quin ut blasphemum te accusari, traduci ac æquisimo tandem animo damnari patiebaris. *Credo ego, ait alius apud Plautum, credo ego, amorem apud homines carnis cinam excogitasse.* Videlicet & hæc, mi Jesu, in te tuumque competunt amorem. Tuus amor suas pessimis lictoribus maledictas, quibus colaphos tibi incusserunt, mode-

moderatus est manus : tuus amor sputum & salivam , quo vultus , ipsis angelis tremendus , obrutus ac tectus fuit , improborum elicit ore : tuus amor scuticas & lora , quibus caesus & laceratus fuisti , porrexit : tuus amor coronam , è spinis contortam , plexit , & diadematis loco summa capiti sanctissimo vi impresit : tuus amor grandem crucis molem humeris tuis imposuit , in monte Calvariae inter perditissimos duos nebulones medium suspendit , & tantisper afflixit , donec , omni sanguinis copia undique effusa , omnibusque te viribus destitutum , ô vitæ princeps , trucidaret. Et quæ illa ad apicem crucis fixa est epigraphe ? Nisi parum prospiciunt oculi , injustissimus justitiæ arbiter scripsit : *Hic est Rex Judeorum*. Patere , quæso , ô fidelissime animarum amice , patere , ut , quod scriptum est , immutem , & hoc oculiferio crucem tuam insigniam : *amor noster crucifixus est !* Neque enim meliori honorari potes titulo. Tu quippe noster es amor , quia plus , quam te ipsum nos amasti : tu noster es amor , quia , quicquid propter nostra nobis patiendum fuerat peccata , ipse tulisti & perpeffus es. Sed ad id tandem , quod dicendum restat , commodè transimus. *JUSTUS* nimirum *HEINRICUS NANNÉ*, *Osteroda-Hannoveranus* , doctrinarum & artium capacissimus adolescens *de incomparabili Christi patientis amore erga genus humanum* , dissertare suum induxit animum , cumque nostris idem Musis , quarum tam alacer , tam promptus per quadriennium ferme fuit alumnus , ut *schola nostra* jure meritisimo dici potuerit , simul sit valedicturus ideo ipsi hoc non tantum impertimur testimonium , sed etiam , ut salvus & incolumis suis porro invigilet studiis , patriæque aliquando insigni commodo , matrique nobilissimæ præcipuo esse possit gaudio , precamur. De quo tanto minus dubitamus , quanto aptior studiis est academicis ,

ad quæ è sinu nostro , in quo a nobis omnibus fuit fatus ,
auspicato , ut optamus , transferetur. Postremo id etiam
subticendum non est , quod *ERICVS ANDREAS AUSPURG* ,
Schoeningensis discessuro sociali ex amore prospera quæque
breui sermone sit exoptaturus. Quod reliquum est , animi
ancipites non sumus , quin plurimum Venerandi Ephori ,
tum & eruditi apud nos alii dicturo , cujus ingenium dile-
xerunt , benevolam sint navaturi operam. Vnde non est ,
cur eos prolixius & sollicitius invitemus & allici-
amus. P. P. In Valle Mariæ prope Helm-
stadium A. O. R. 1709. d. 26. Mart.

